

Templum exoriente Bello aperiendi , Pacis tempore claudendi.
PUBL. Probe recordor. Si tanta tu mihi de singulis Diis, egregie equidem sapiam: te vero labor magnopere fatigabit.

DIALOGUS XVII.

De Anno , itemque Saturno.

TULLIUS.

- I. **P** Inxi tibi Part. II. Tab. VI. n. 17. & ibidem Dial. XXIV. n. 7. exposui perelegantem Numum *Julii Severi* in quo Fœcunditas ejus, per adulationem, cum Fœcunditate Terræ toto Anno, comparatur. Tellus quippe ibidem humi residet, quæ lævo cubito innixa calatho, ex quo flos altus excrescit, dextram Orbi stellato imponit, per cujus convexum quatuor puellæ gradatim consistunt, Quatuor Anni tempora denotantes. Numus porro Tabulæ meæ III. decimus quintus TAB. III. N. XV. has easdem quaternas Anni Partes totidem pueris exultantibus redhibet: quem tu plenius recenseas. *PUBL.* Primus eorum, Veris genius, calathum florum in capite gestat: alter, Aestatis nuncius, falcem longam gramineam sustinet: tertius, index Autumni, cyathum gestat falernum: quartus demum, sub vestibus cum Hyeme frigans, quasi venator, baculo feram trajectam super humerum deportat. Supra, & infra scribitur: FELICIA TEMPORA.
- II. *TULL.* *Hadriani* est hic Numus, pingiturque in Elect. R. N. Tab. I. n. 3. Cui parem ferme, sed *Antonini Pii*, exhibuit *Cl. Patinus* p. 173. Ibi secundus puer, pro falce longa graminea, messoriam brevem habet: tertius, poculi loco, catinum cum frugibus. Epigraphe nulla, præter infra: COS. III. Exstat

stat autem ibidem p. 272. alius quoque perpulcher Æris medii Numus *Juliae Maesae*, signatus ab *Amasrianis* in Paphlagonia, integri Anni bellam Imaginem reddens. Circum quippe pingitur Dodecatomerion cœleste animale, sive Zodiacus, cum duodecim signis, intra quem Apollo, ac Diana, sive Sol, & Luna, simul consistunt. Epigraphe græca est: AMACTPIANON: i. e. *Amasrianorum*.

Demum & *Sambucus* in calce Emblematis. suor. p. 248. vulgavit Numum, in Adversa quinque capita redhibentem: e quibus medium forsitan est Saturni: quatuor alia, circum sibi adversa, Sertis impositis, quæ aut floribus, aut spicis, aut vitibus contexta sunt, quarto velato, & vitta pellicea contexto, Ver, Aestatem, Autumnum, ac Hyemem hic comparere, facile indicant. In Adversa frutex quidam, cum floribus frugibusque, ad ornamentum potius, quam naturam factus cernitur, intexta quoque calvaria. Epigraphe undique nulla. Porro tota hæc fabrica manum prodit recentem, docetque, Numum hunc, ingenii duntaxat causa, mereque in gratiam confictum fuisse.

PUBL. Miror tam omnia in tabulas Numorum fuisse conjecta, ut inde Mythologica quædam Bibliotheca instrui possit. Numi tui decimus sextus, ac septimus, referunt *Saturnum* stantem, habitu Senis nudi: primus quidem alatum, transversa cum falce quasi demetentem: alter alis carentem, cum falce hastata in dextra, & infante supra brachium sinistrum sedente, ac expansis palmulis quasi deprecante, ne devoretur. Epigraphe ubique græca est. TULL. Utrumque tibi ex Cl. Patino excepi p. 166. & 266 Prior caput *Elagabali* refert in Adversa: Epigraphe Adversa est: ΗΡΑΚΛΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. i. e. *Heracleotarum Neocororum*. Posterior in Adversa circum caput juvene inscribitur: ΑΝΤΙΝΟΟC ΗΡΟC: *Antinous Heros*, nimirum *Hadriani* dilectus, & ab eo consecratus. In Adversa legitur: ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ: *Sardianorum*. Quid Saturnus his in Numis velit sibi, Vir Cl. conjectu perarduum, ait. Ego autem tibi eosdem pinxi, ut & hujus Dei teneres imaginem, qui plurimis fabulis argumento fuit.

PUBL. Legi crudum tetricumque hoc Numen, Cælo, Terraque natum, *Rheam* conjugem habuisse: præscium autem, se ab uno Filiorum imperio exturbandum; proles omnes mox na-

III.

IV.
TAB. III
N. XVI.
& XVII.

V.

tas devorasse. Uxorem vero, dum *Jovem* enixa esset, Lapidem cunis involutum, eidem pro infante obtulisse: quo devorato, ulterioris conjugii impotens fuerit effectus, ac demum a *Jove* adulto plane Cælo exturbatus. *TULL.* Ita mentiabantur Poëta. Qui vero ad naturam traxerunt figmenta omnia, in quibus *Cicero* fuit, aiebant: Eundem continuisse conversionem Spatorum, ac Temporum, græce *χρόνος*, uti tempus, appellatum. *Saturnum* autem dictum, quod satiretur annis: Natos ex se commesse fictum, quia, quidquid ætas temporum producit, idem & consumit.

De Natur.
Deor.
L. II. c.
25.

VI. Qui cum *Varrone* ad Agriculturam respiciunt, Deum eundem *Subterraneum* vocant, *Custodem Ruris*, *Vitificatorem*: cui surculorum insertiones, educationes pomorum, omniumque fertilium disciplinæ commendarentur. Unde & falce sua imaginem *Coloni* præferat. Neque verebantur eum *Sterculium* quoque dicere: quod agros fimo impinguare ipse docuerit. Demum Historiam curantes, eundem cum *Jano* commune initio imperium gessisse in Italia, postea solum regnasse tradiderunt: id porro tanta cum tranquillitate, ut nemo sub ipso serviret, nemo egeret, sed omnibus omnia communia fuerint. Quod Aureum Seculum prædicant. In cujus memoriam Romæ in *Saturnalibus* lætiam *Servi*, & *Ancillæ*, abjectissimum alias apud *Quirites*, & vere miserabile hominum genus, communi quodam jure cum *Dominis* ad epulas, ludosque admitterentur, tota eisdem tunc licentia permiffa.

Macrob.
L. I. Sa-
turnal. c.
8.

Ibid, c. 7.

VII. Verum tamen hæc omnia prope *D. Pluche* ab *Horo* Aegyptiaco repetit, i. e. Imagine illa, quæ *Populo* mense *Februario* proponebatur ad annuncianda publica *Judicia*, per *Sacerdotes* agenda, & ante messem, proximis mensibus instantem, absolvenda. Horum namque, sub quo *Laborem* communem, tam civilem ac *Politicum* in rebus quibuslibet ordine debito agendis, quam *Rusticum* in cultu terræ, ac *frugum* intellexerant, forma hominis exhibebant, pro varia tamen ratione hæc, aut illa, prænunciandi, diversa ætate, forma, & habitu. Dicto *Februario* mense referebat figuram *Viri Senis*: quoniam plebem judicare, *Seniorum*, *Sapientum*, ac *Sacerdotum* erat, quibus mens, ratio & consilium inesse censebatur. *Dextra* *falcem* præferbat: quoniam

niam & falcatio fœni , & messis frumenti , & vindemia præ foribus erant , omnia in Aegypto mensibus Martii , & Aprilis consummanda.

Læva Serpentem gerebat , qui convolutus in orbem , caudam suam ore momordit , in signum , peractis messe , & vindemia , instare Anni finem , nihilque deinceps agris agendum superesse. A Junio enim inchoabat novus Aegyptiorum Annus , quem brevi sequebatur Nilus innundans. Dicebatur hæc figura *Sudec* , i. e. Splendor ab auctoritate , vel *Keron* , sive Corona , a Confessu Judicum , aut *Chiun* a Sacerdotio , aut *Soterin* a Judicio. Adjungebatur *Horo* tunc etiam *Isis* , fœmina multinammia , cum nomine *Rhoëa* , a *Rabach* , quasi *Robeab* , i. e. Nutrix , & pascens : quoniam tunc maturis frugibus , Mater terra populo alimenta sua datura erat. Vide jam his e Signis , origine innocentibus , eorum notione deperdita , idololatricam genesin *Saturni* , ex umbris primæ veritatis in Secula succedentia fallaciter projectis.

Quia Senes , ac Sacerdotes , extra tempus illud , retinendæ suæ venerationis causa in publicum non prodierunt , communi stipe suum intra labyrinthum sustentati : cœptum est fabulari , *Saturnum* a Jove vincum esse. Quoniam illi proprium nihil habebant , cujus ampliandi causa corrumpi possent , atque propterea haud alia , quam æqua judicia dabant : *Saturnus* evasit Rex justus , & sub eo communia omnia tradebantur. Cum Februarius mensis in Aegypto omnium pulcherrime floreat : confictum est sub *Saturno* Ver perpetuum , Aureum Seculum. Eo quod *Horus* appellaretur *Keron* a confessu Judicum in modum coronæ : *Saturnus* dictus est *χρόνος* , quasi Tempus , ac Præses Temporum prædicabatur. *Horo* per falcem tempus messis præsignante , *Saturno* Custodia Ruris assignata fuit , falxque pro scepro dabatur.

Rhoëa , i. e. imago Terræ , tum fruges dantis , & *Horo* adjunctæ , conjugium peperit *Saturni* , ac *Rbeæ*. Anguis in orbem convolutus ansam fingendi dedit , *Saturnum* prolem suam devorare , quod Annum veterem , novo ingrediente , absumeret. Multo pluribus analogiis , & sane tam prudentibus , quam elegantibus , D. *Pluche* hanc *Saturni* fabulam evolvit : quarum vim assequetur , quisquis , hætenus confictorum præconcepta opinione liber , ipsum ejus Librum , sive *Historiam Cæli* , rite inten-

tus perlegerit, serioque perpenderit. *PUBL.* Plurimum hæc sapiunt præ omnibus Veterum commentis in hoc uno concordibus, quod nullibi sese inter conveniant. Nec putem, dubia, quæ singularibus Viri perspicacissimi meditationibus objici, & injici forsitan possent, ut nihil est fere disceptationi nulli obnoxium, tanta tamen fore, quæ vel ipse, vel quicum ipso consentit, non facile disolvat.

DIALOGUS XVIII.

De nonnullis Jovis nominibus & imaginibus peregrinis.

TULLIUS.

I. **O**Mnipotens hic Pater hominumque Deumque, suis fabulis adeo decantatus est inter omnes, ut verbum de eo ex antiquis repetere coram te, nil nisi oleum perdere censeam. Sensum vero Domini *Pluche* non inutiliter ex me audies. Advertit ille: Primos Aegyptios, vero æternoque Deo religiose obsequentes, quoties ejus imaginem exhibere debuerant ad plebis commotionem, pro eo, sapientissima electione, substituisse Solem, tanquam corpus omnium speciosissimum, quod nil esset, ut nostro quidem oculo substat, nisi Splendor & Lux, viresque suas, ac beneficentiam, collustrando, & vivificando omnia, universum in mundum diffunderet. Hunc porro pro modo, quo eum cernimus, orbiculari forma, nunc plana, nunc radios undique diffundente, pinxerunt. Et, ut vitam exprimerent, quia Deus, & Sol animant omnia, addiderunt huic orbi unum, duosve Serpentes, eum quasi stipantes: nam *Hava*, vel *Heve*, denotabat pariter *Serpentem*, & *Vitam*. Inde Nomina,

Jov

Libr. I.
c. I. §. 10.